

Folium officiale Dioecesis Lavantinae.

Cerkveni zaukaznik za Lavantinsko škofijo.

Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese.

Inhalt. 55. Edictum invitatorium et promulgatorium, quo sexta Synodus dioecesana Lavantina notificatur et convocatur, tenenda a die 28. mensis Augusti usque ad diem 1. mensis Septembris anno salutis 1911. — 56. Eidesleistung im Sinne des päpstlichen Motu proprio „Sacrorum Antistitum“ vom 1. September 1910. — 57. Gewäh-

rung des Festes B. Hemmae Vid. sub ritu dupl. min. — 58. Erlaß des Ministers für Kultus und Unterricht, betreffend den Bezug des Zeugnis-papieres seitens der zur Ausstellung staatsgültiger Zeugnisse befugten Stellen. — 59. Škofijska kronika. Diözesanchronik.

55.

EDICTUM INVITATORIUM ET PROMULGATORIUM,

quo sexta Synodus dioecesana Lavantina notificatur et convocatur, tenenda a die 28. mensis Augusti usque ad diem 1. mensis Septembris anno salutis 1911.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti! Amen.

MICHAEL,

Dei grata miseratione Princeps-Episcopus Lavantinorum, Solio Pontificio Assi-stens, Suae caes. ac reg. Apostolicae Maiestatis Consiliarius intimus, Magna cum Cruce caesarei austriaci Ordinis Francisci Iosephi Ornatus, Doctor sacrae Theologiae, venerabili Clero pacem et salutem ac benedictionem omneque bonum a Christo Iesu!

In Domino dilecti fratres et filii!

Deo duce et fautore quatuor iam Synodos dioecesanas, non sine proprio populique fructu, concelebravimus, quod aperte probant publico prelo dati libri synodales.¹

Peropportunum immo et necessarium duco, ut vos, sedulos cooperatores meos in vinea Dominica, ad novam Synodum congregem, quam Deo permittente diebus 28. 29. 30. 31. mensis Augusti et 1. mensis Septembris anni volventis tenere intendo. Permulta enim et sat gravia negotia tractanda veniunt in generali hoc congressu Cleri dioecesani.

¹ Piae memoriae praesul Lavantinus Iacobus Maximilianus anno 1883 Synodum habuit atque librum publicavit: Acta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno Domini 1883 celebratae. Marburgi, 1883. 8°. Pagg. 86. — Postea in lucem prodierunt libri synodales cum propriis titulis, ut ab invicem distinguantur et facilius citentur neque fiat de Synodo Synodus: Gesta et statuta Synodi dioecesanae anno 1896 constitutae et celebratae. Marburgi, 1897. 8°. Pagg. 450+VI. — Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae anno sacro 1900 institutae et peractae. Marburgi, 1901. 8°. Pagg. 601+VI. — Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno Domini 1903 coadunata. Marburgi, 1904. 8°. Pagg. 918+VI. — Denique Synodus dioecesana Lavantina, concita et facta anno salutis 1906. Marburgi, 1907. 8°. Pagg. 654+VIII.

Prouti tres priores libros synodales Summo Pontifici in privatis audientiis humiliter obtuli, consimili modo in audientia, die 18. Maii 1908 mihi benigne concessa, codicem synodalem ex anno 1906 respective 1907 substravi Sanctissimo Patri Pio PP. X., qui eum gratiose excipere dignatus est. — Sacrae Congregationi Concilii tradam istud opus synodale nec non praesens, quum iuxta Sixti PP. V. constitutionem Romanus Pontifex de die

A Sanctissimo Domino nostro Pio PP. X. diebus novissimis recepimus mandata maximi momenti, quae cuncta circumstantiis dioecesis nostrae eiusque indigentis accomodare et applicare debemus, ut fructus ferant salutare atque uberes. Huc spectat exempli causa egregium decretum *Sacra Tridentina Synodus* de die 20. Decembris 1905, suadens et inculcans quotidianam sanctissimae Eucharistiae sumptionem¹; porro decretum *Quam singulari* de die 8. Augusti 1910, respiciens aetatem admittendorum ad primam communionem eucharisticam²; item decretum de amotione parochorum oeconomica deque vetita administratione bonorum temporalium ex parte Cleri et reliqua.

Supervacaneum esse reor, pluribus commemorare, quae sit necessitas, utilitas et gravitas celebrationis comitorum synodali. Animarum namque curiones cuncti persuasum habent de bono communi tanti instituti, quod a primordiis sanctae Ecclesiae usque ad nostra tempora in flore ac vigore est. Celeber consultor Sacrae rituum Congregationis, *Bartholomaeus Gavantus*, deducit originem dioecesanæ Synodi ab Act. ap. 21, 18 anni Domini 58, ubi sub s. Jacobo, Episcopo Hierosolymitano, omnes seniores seu presbyteri fuere collecti in causa s. Pauli.³

Sancta mater Ecclesia persuasum semper habuit et habet, synodales conventus permagni esse momenti ad tuendum ac firmandum in quaque regione regnum Dei; conferendo enim inter se consilia sacrorum Antistitem et curiones non modo fit, ut perspiciant melius suorum necessitates fidelium et quae sunt magis opportuna factu statuunt, verum etiam ut cohaerescant invicem coniunctius; quae coniunctio magnam addit singulorum contentioni efficacitatem. Nostrorum iniquitas temporum poposcit indesinens studium, ut et disciplinae integritas apud nos in tuto sit et fides moresque probi vigeant in populo et ab impugnationibus omne genus, quibus obnoxia est dioecesis, vindicetur.

Iure merito in *novo ordine*, servando in relatione de statu ecclesiarum seu dioeceseon, edito a Sacra Congregatione Consistoriali die 31. mensis Decembris 1909, quaeritur capite III. numero 30: Utrum Ordinarius dioecesanam Synodum congregaverit; et si nullam coegerit, an et quomodo et quanam potestate suppleverit?

Ob hanc rerum conditionem in nostra aetate crebrius coadunantur Synodi et provinciales et dioecesanæ. Inde a quo anno 1906 in libro synodali recentia ac recentissima enumeravi varia concilia generalia et particularia, sequentium eiusmodi celebrationem congressuum annotavi.

20. Decembris 1585 et iuxta Sacrae Congregationis Consistorialis decretum A remotissima de die 31. mensis Decembris 1909 (can. II. § 4.) limina Apostolorum visitaverim rationemque Summo Pastori de pastoralis officii implemento reddiderim, quod fieri debet anno 1913. (Acta Apostolicae Sedis. Commentarium officiale. 1910, ann. II., vol. II. pag. 13—34).

Sicuti statuta praecedentium Synodorum Lavantinarum variis in diariis et foliis litterariis memorata sunt, ita de constitutionibus quoque synodalibus ex anno 1906 copiosas retulerunt relationes inter alia quae sequuntur commentaria: *Das Vaterland, Zeitung für die österreichische Monarchie*. Wien, 6. November 1907. Nr. 305. — *Personalstand des Bistums Lavant in Steiermark für das Jahr 1907*. Pag. 215—225. — *Zeitschrift für katholische Theologie*. Innsbruck, 1908. I. Quartalheft. Pag. 206 sq. — *Literarischer Anzeiger*. Graz, 1908. Nr. 5. col. 145—148. — *Stimmen aus Maria Laach*. 1908. März-Heft. *Miszellen*. Haec accurata recensio reproducta est in ephemeride: *Die Kirche. Katholische Rundschau. Wochenbeilage zum Vaterland. Zeitung für österr. Monarchie*. 4. April. 1908. Nr. 14. pag. 117—119. — *Theologisch-praktische Quartalschrift*. Linz., 1908. Heft II. pag. 352 sq. — *Voditelj v bogoslovnih vedah*. V Mariboru, 1908. Leto XI. Zvezek 1. Pag. 121 sq. — *Čas. Znanstvena revija*. Ljubljana, 1908. Letnik II. Zvezek 3. Pag. 147. — *Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese*. Marburg, am 1. Juni 1908. Nr. VI. num. 57. pag. 100—104.

¹ Folium officiale dioecesis Lavant. 1906. Nr. VI. num. 39. pag. 76—78. — Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita et facta. Marburgi, 1907. Cap. CXIX. pag. 355—384. — ² Acta apostolicae Sedis. Ann. II. vol. II. Num. 15. de die 15. Augusti 1910. Pag. 577—583. — ³ Praxis exactissima dioecesanæ Synodi cum theoria celebrandæ. In quatuor distributa partes. Venetiis, 1726. Part. prim. Cap. I. num. 3. pag. 231.

A die 30. Augusti usque ad diem 11. Septembris 1900 in seminario centrali Maynutiae apud Dublinum habita est Synodus plenaria Episcoporum Hiberniae, cuius decreta die 9. Septembris 1904 ab apostolica Sede approbata et Dublini anno 1906 publici iuris facta sunt.¹ — Mense Septembri anno Domini 1906 concitum et peractum est Concilium provinciale Salisburgense, cuius constitutiones a Sancta Sede anno 1909 probatae et festo Paschatis 1910 promulgatae sunt.²

A die 8. usque ad diem 29. Decembris 1907 primum Concilium provinciale Manillae, metropoli Philippinarum, sollemniter celebratum est. In ultima sessione, die 29. Decembris habita, Delegatus apostolicus Msgr. Ambrosius Agius O. S. B., Archiepiscopus Manillae, peroravit solemnem dedicationem Philippinarum divino cordi Iesu et immaculatae Virgini Mariae. — Romae mense Maio anno 1908 audivi ex ore reverendissimi Domini Sebastiani Messmer, Archiepiscopi Milwaukee., quod mense Augusto dicto anno 1908 Synodum metropolitanam et paulo post dioecesanam constituturus est.

Festis diebus Pentecostes 1909 in urbe Ain Tras initium cepit concilium graeco-catholicum ecclesiae Orientis, id est catholicorum Melchitarum, quorum Patriarcha Damasci residet. Papa Pius, divina providentia X., epistolam autographam in lingua latina misit eximio Patriarchae. — In civitate Quebecensi die 19. Septembris 1909 primum plenarium Concilium terrae Canadensis sub auspiciis apostolici delegati Domini Donati Sbaretta et in praesentia 8 Archiepiscoporum, 33 Episcoporum multorumque Praelatorum inchoatum est.

Congressus quoque dioecesani plurifariam convocati sunt, ut Segniae mense Iulio anno 1906, ubi per saecula eiusmodi conventus non est factus³; porro Argentorati anno 1908; St. Hippolyti eodem anno 1908⁴, item Labaci mense Augusto 1908.⁵ Subsecuto anno 1909 pariter in diversis dioecesibus factae sunt Synodi episcopales, uti prima Brunae in Moravia⁶ et Mazzarae in Sicilia. Omnem gregem christianum persollicite pascens summus Pastor Pius X. vehementer cupit libenterque laudat tale opus synodale. Ita epistolam laudatoriam direxit ad Archiepiscopum Jannensem Eduardum Pulciano de celebratione Synodi dioecesanae die 11. Decembris 1909.⁷

Festo Epiphaniae 1910 inter sollemnia Dominus Cardinalis et Archiepiscopus Alexander Lualdi de urbe Palermo indici iussit Synodum dioecesanam pro die 14. Iunii 1910, qualis contio per sat longum temporis spatium non est concita. — Prima septimana mensis Decembris anni 1910 in ecclesia cathedrali s. Patritii in archidioecesi New-York peracta est Synodus particularis, cui 600 sodales interfuerunt inque qua nuperrima decreta Pontificia de amotione administrativa ab officio et beneficio curato deque aetate neocommunicantium executioni mandata sunt. — Milani die 16. Ianuarii 1910 decreta et mense Maio eiusdem anni facta est Synodus, quae est iam undequadragesima post Concilium Tridentinum, quod sess. XXIV. cap. 2. de reform. providentissime sanxit sequens mandatum: »Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias cessante exemptione interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur; ratione tamen parochialium aut aliarum saecularium ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii, qui

¹ Acta et decreta Synodi Plenariae episcoporum Hiberniae habitae apud Maynutiam an. 1900. Dublini, 1906. 8°. Pagg. VI+250. Appendix ad acta et decreta Synodi Plenariae. Dublini. 8°. Pagg. IX+417. — ² Acta et Constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno Domini MCMVI celebrati. Salisburgi, 1910. 8°. Pagg. 386. (Folium officiale Dioecesis Lavant. Marburgi, 1910. Nr. VII. num. 55. Pag. 114 sq.). — ³ Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae anno Domini 1906 habitae. Segniae, 1906. 8°. Pagg. 455+VI. — ⁴ Constitutiones et acta Synodi dioecesanae Sanhipolitanae primae anno Domini 1908 habitae. St. Hippolyti, 1908. 8°. Pagg. 401. Appendix: pagg. 102. Additamentum: pagg. 23+XVII. — ⁵ Synodus dioecesana Labacensis II. anno 1908 habita. Labaci, 1908. 8°. Pagg. LV+272. — ⁶ Prima Brunensis Synodus dioecesana anno Domini 1909 celebrata. Brunae, 1909. 8°. Pagg. 614. — ⁷ Acta apostol. Sedis. Comment. officiale 1910. Ann. II. vol. II. num. 1. pag. 6.

illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse.* Penultima Synodus Milanensis, anno 1902 congregata, optimos protulit fructus, quod variis in diariis relatum et contestatum legi.

Quid mirum, si eiusmodi conventus salutare in diversis dioecibus austriacis serio et sedulo praeparentur? Sic Synodus dioecesana Seccoviensis indicta et convocata est litteris, Graecii die 21. Februarii anni dilabentis 1911 datis. Veglae Dominica Palmarum anno hoc annuntiata est altera Synodus dioecesana, cogenda mense Septembri 1911. — In instructione sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium de die 22. Iulii 1898 circa conventus sacrorum Antistitum in ditionibus austriaci imperii proponitur inter res graves ad deliberandum congressuris etiam Synodorum iuxta Tridentinas leges instauratio.¹ Et Praesules ipsi Vindobonae diebus Octobribus anno 1906 una congregati ad res collatis consiliis discutiendas in litteris suis, venerabili Clero festo s. Lucae Evangelistae 1906 datis, de Synodis utpote sat efficacibus mediis verae reformationis haecce notarunt:

»Apprime novimus, fratres dilectissimi, vestra quoque consilia, vestram cooperationem Pastoribus in regimine Ecclesiae opportuna esse et perutilia. Hoc consilio mater Ecclesia instituta condidit, *ut sunt Synodi*, quae sensim in usum iterum veniunt, conferentiae decanales et pastorales, quae opportunam sacerdotibus offerunt occasionem negotia pastoralia discutiendi, desideria pastoribus libere aperiendi. Haec genera conventuum, usu Ecclesiae iam sancita, nos venerabili Clero commendamus, utpote quibus honestae libertati satisfacit simulque constitutioni ordinis sacerdotalis hierarchicae. *Caeteras vero sacerdotum inter se associationum formas, quae disciplinae ecclesiasticae et spiritui sacerdotali minus conveniunt vel ab eis alienae sunt, profecto commendare non possumus.*«²

De historia, theoria et praxi Synodorum recentiori tempore frequentius et prolixius pertractari assolet.³ Nuperrime celebratum Concilium provinciale Salisburgense de re nostra statuit, ut sequitur: »Synodi dioecesanae ab Episcopo proprio indicantur pro temporum et locorum opportunitate in exercitiorum spiritualium decursu singulis annis.«⁴ Doctores volunt, Episcopum teneri post sex menses a Concilio provinciali ad convocandam Synodum dioecesanam, ut legantur inibi decreta istius Concilii.⁵ Certe vetus mos est, ut Synodo provinciali succedat dioecesana, in qua statuta illius promulgentur et explanentur. Porro necessarium est, ut constitutiones Synodorum ecclesiae Lavantinae hucusque habitatum concilientur et concordentur cum decretis Concilii metropolitici, ultimo celebrati. Quo de negotio synodali iam sermocinatus sum in edicto de observandis provincialis Concilii Salisburgensis constitutionibus, festo Paschatis 1910 rite promulgatis, publicato die 24. Iunii 1910.⁶

Egomet omnes boni pastoris partes studiose explere et omnes dioecesanos paterna charitate prosequi et amplecti cupio. Proinde non solum Conciliorum praesertim Tridentini sacris parere canonibus volo, verum etiam ea, quae de Synodis dioecesanis statuit Concilium provinciae Salisburgensis, inviolabiliter custodire et pro viribus observare in animo habeo.

Idecirco quater perlustrata universa dioecesi, peractis porro quatuor episcopatus et septem

¹ Geschäfts-Ordnung für die Konferenzen der österr. Bischöfe auf Grund der „Instructio S. Congregationis negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium propositae“ vom 22. Juli 1898 entworfen und am 12. November 1901 von der Generalversammlung genehmigt. Brünn, 1902. S. 5. — ² Dr. Michael Napotnik, Send- und Lehrschreiben. Marburg, 1911. Pag. 878 et 879. — ³ Praeter litteraturam desuper in praecedentibus quatuor libris synodalibus locis opportunis adductam, videsis: Dr. Michael Napotnik, Die Bedeutung der Partikular-Konzilien in der Gegenwart. Gedenkblatt an das vom Heil. Apost. Stuhle zu Rom am 2. September 1909 genehmigte Salzburger Provinzial-Konzil. Salzburg, 1910. 8°. Pagg. 11. — Dr. Karl Hübner, Die Provinzialsynoden im Erzbistum Salzburg bis zum Ende des XV. Jahrhunderts. Idem, Die Salzburger Archidiakonalsynoden. (Deutsche Geschichtsblätter. Gotha, 1910). — ⁴ Op. cit. Pag. 215. num. 310. — ⁵ Io. Ant. Massobrius, Tractatus de Synodo dioecesana. Romae, 1627. Cap. 2. dub. 5. et 6. — Barth. Gavantus, Op. cit. annotatio. § 4. pag. 255. — ⁶ Folium officiale dioecesis Lavant. 1910. Nr. VII. alin. 55. pag. 114 et 115.

presbyteratus nostri lustris atque duodecim vitae ac novies visitatis sacris Liminibus, utentes potestate nostra ordinaria et accedente reverendissimo Capitulo cathedrali laudatoque Consistorio Lavantino votis unanimis proposito nostro atque confisi in adiutorio Dei omnipotentis, per os magni Isaiae prophetae nos exhortantis, *Ini consilium, coge concilium* (Is. 16, 3), nec non innixi suffragiis beatae Mariae Virginis salutis Lavantinorum omniumque dioecesis patronorum ac patronarum: *novam Synodum dioecesanam in sancti Aloysii ecclesia seminarii clericorum Marburgi a vespere diei 28. Augusti usque ad mane diei 1. Septembris anni decurrentis celebrandam indicimus atque indictam declaramus*, uti primum eam festo Epiphaniae die 6. Ianuarii dilabentis anni frequenti populo intra Missarum sollemnia promulgari curavimus.

Ad legitime proclamatam et decretam Synodum decenter advoco totum Clerum urbanum et foraneum seu omnes sacerdotes saeculares et regulares, qui vocati fuerunt ad priores quinque congressus synodales. Quoniam in futura Synodo agendum erit de re, universum Clerum Lavantinum concernente, nempe de reformatione morum ac de intimandis decretis Concilii provincialis, iuxta dispositionem iuris canonici omnes de eodem Clero accedere tenentur, ita tamen, ut ecclesiis debita servitia non subtrahantur.¹

Singulariter eos, qui interesse aut iure obligantur aut merito invitantur, ad indictam Synodum voco, videlicet reverendissimi Capituli nostri cathedralis dignitates, canonicos gremiales et honorarios; porro omnes professores et docentes sacrae Theologiae in dioecesano instituto theologico nec non directores seminarii maioris et rectores seminarii minoris; dein doctores sacrae Theologiae, doctores in iure canonico et doctores philosophiae christianae; item religiosae institutionis professores ac magistros in scholis mediis et in paedagogiis.

Districtim invito plurimum reverendos Dominos: saecularem abbatem Celeiensem, praepositum Petoviensem et archidiaconum Konjicensem. Canonice requiro omnes decanos, parochos, provisores et administratores parochiarum, beneficiatos, catechetas scholarum urbis Marburgensis et omnes sacerdotes huius civitatis ceu sedis meae residentialis. Invito porro, ut decet, praepositos et priores conventuales regularium, qui curam animarum agunt aut quorum monasteriis et domibus beneficia curata incorporata sunt; dein superiores provinciales ordinum, quorum conventus in nostra dioecesi consistunt, nec non rectores et superiores horum conventuum et domuum religiosarum.

Comiter invito ad plenam Synodum perillustrem Dominum Placidum Epalle, abbatem Trapistarum beatae Mariae de Liberatione Reichenburgi, qui Dominica die 18. Decembris 1910 ab Ordinario Lavantino benedictus est in Praelatum monasterii, in qua festivitate iuramentum emisit iuxta formam in Pontificali romano »de benedictione Abbatis auctoritate apostolica« praescriptam declarando: *Vocatus ad Synodum, veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione*. Insimul est coenobii Praestes patronus parochiae sanctorum apostolorum Petri et Pauli Reichenburgi atque plebaniae beatae Mariae Virginis Koprivnicae nec non iurisdictione pro excipiendis confessionibus poenitentium, ab extra monasterium visitantium, dotatus.

Denique accio ad Synodum, in qua graves res Cleri agentur, etiam sic dictos pensionistas seu quiescentes, iurisdictione confessiones audiendi gaudentes, quibus vires corporis et animi ad comparendum in coetu non desunt. Ultimo accio cooperatores in cura animarum, de quibus decanus iudicaverit, illos absque spirituali damno fidelium per dies synodales absentes esse posse. Caeterum debent animarum rectores ante iter ad Synodum ineundum inquirere, si qui sint aegroti in parochia,

¹ Sacra Congregatio Concilii die 15. Decembris 1629. (Benedict. XIV., De Synodo dioecesana. Libri tredecim. Lib. III. cap. 6. num. 2. Romae, 1755. Pag. 66). — D. Bouix, Tractatus de Episcopo, ubi et de Synodo dioecesana. Edit. tertia. Tom. II. pag. 360 sq.

ut illos visitent, etiam non requisiti, et eos commendent vicinis sacerdotibus. — Praeter nominatos nemini Synodo interesse licebit. Item prohibeo, quominus sacerdotes ex aliena dioecesi sine expressa licentia nostra consessui dioecetano intersint. Synodum namque ut conventum familiae habemus, ubi pater cum filiis et filii cum patre de negotiis sibi communibus tractant. In hoc foedere domestico licet Ordinarius unicus sit iudex atque legislator, nihilominus libentissime audiet maximique aestimabit vota et consilia omnium sodalium, probe sciens, ad prudentiam christianam pertinere docilitatem, et persuasus, talem docilitatem Deo valde gratam ac beneplacitam esse.

Domini decani nomina eorum, qui ad Synodum accedent, denuntient usque ad decimam diem mensis Augusti huius anni reverendissimo princ. episc. Consistorio. Pro synoditis habitacula praeparabuntur in ambobus seminariis, in monasterio patrum Franciscanorum, in aedibus Capituli cathedralis, in domo Parochi ecclesiae cathedralis nec non in Episcopio. Omnes synodales foranei nanciscentur hospitia gratuita, uti in Synodo ultima et paenultima practicatum est. Si quis specialia hac in re habeat desideria, ea communicet cum Praefecto hospitiorum eiusque comministris.

Si quis honestam ob causam putaverit, se non posse ad sacram Synodum venire, indicabit hoc princ. episc. Consistorio cum accurata causae designatione. Si causa fuerit infirmitas, medici testimonium apponat. Quamvis iuxta sanctiones iuris canonici Episcopus in illegitime absentes censuris ecclesiasticis animadvertere potest¹, verumtamen quoad vos, in Christo carissimi consacerdotes, certo certior sum, quod hilari et laeto animo benevolae nostrae invitationi obtemperabitis et ad canonicè indictum congressum dioecesanum lubenter approperabitis.

Venerabiles in Christo fratres!

Vos bene nostis verba Domini, dicentis *sine me nihil potestis facere* (Ioan. 15, 5) et ex altera parte optime vobis nota sunt verba s. apostoli Pauli, affirmantis *omnia possum in eo, qui me confortat*. (Philipp. 4, 13). Ideo vos hortor et obsecro, ut fervidas preces et orationes ad Deum in misericordia divitem fundatis, ut sextae Synodo nostrae incrementum suum det. Hunc in finem praecipio, ut incipiendo a festo Pentecostes unaquaque die, rubricis permittentibus, ab omnibus sacerdotibus *collecta de Spiritu Sancto* in Missa sumatur, in ecclesia vero cathedrali s. Ioannis Bapt. et in cunctis ecclesiis decanalibus tamquam eminentioribus qualibet feria V. celebretur *Missa votiva de Spiritu Sancto*.

Secundum Caeremoniale Episcoporum conveniens est, si inchoanda Synodus »tam in ipsa ecclesia cathedrali per concionatorem quam in singulis parochialibus per parochos iterum atque iterum denuntietur populusque fidelis ad devotionem, orationes, ieiunia, sacramentum poenitentiae, sanctissimae Eucharistiae sumptionem aliaque pia opera adhortetur; ut actio huiusmodi, Deo opitulante, dignum sortiatur exordium felicemque et fructuosum progressum et exitum habeat.«² Hoc spiritu et sensu statuo ac fieri mando, ut Dominica XII. post Pentecosten et V. Augusti, immediate praecedente Synodum, *coram exposito Sanctissimo* recitetur *rosarium gloriosum* et persolvantur *litaniae Lauretanae*, quibus terminatis detur benedictio sacramentalis. Vespere huius Dominicae, in quam simul incidit festum purissimi cordis beatae Mariae Virginis, in omnibus ecclesiis parochialibus extra urbem Marburgensium per totam dioecesim omnes campanae post »salutationem angelicam« per duos horae quadrantibus sollemniter pulsantur.

Ego vero vi indulti sacrae Congregationis, die 28. Augusti 1903 obtenti, indulgentiam *quingenta dierum*, singulis vicibus lucranda, concedo omnibus dioecesanis Christicolis, qui a die promulgationis huius edicti ad dimissam usque Synodum quamlibet ecclesiam seu quodlibet orato-

¹ Bened. XIV. op. cit. lib. III. cap. 12; Concil. Trid. sess. XXIV. cap. 2 de reform. — ² Lib. I. cap. XXXI. num. 4. Edit. cit. pag. 115 sq.

rium publicum visitaverint ibique pie ac devote ter *Pater noster* cum *Ave Maria* et semel *Credo* cum *Gloria Patri* recitaverint pro Synodi felici principio, pro prospero eius processu et fine salu-
tifero. Hac de concessione simulac de momento et emolumento concilii dioecesanii omni studio
instruendi sunt fideles. Si fecerimus omnia, quae debuimus et potuimus, indubie gratia divina non
deerit operationi sacrae et salutari, qualis praedicatur et est Synodus dioecesana.

Certe commodius numquam potest moneri ac moveri totus Clerus quam in Synodo dioe-
cesana. Propterea cum sermonibus, ab Episcopo in Synodo habendis, coniungentur exercitia spiri-
tualia, per virum pium ac peritum, zelo disciplinae clericalis illustrem et exemplo potentem dirigenda,
una cum communionem generali in sessione ultima. Insuper summum Ecclesiae Pontificem, sanctis-
simum Dominum nostrum Pium X., instanter orabo, ut indulgentiis plenariis cum Synodi sodales tum
caeteros fideles ditare dignetur, quas durante Synodo in ecclesiis Marburgi erectis et iusto tempore
accuratius designandis lucrari poterunt. Hunc nostrum communem rogitum Suae Sanctitati iam die
20. Decembris evoluti anni 1910 proponendum praenuntiavi.

Statuta, publicanda in Synodo ventura, omni quidem diligentia et circumspectione elabo-
rantur nec non in quatuor *Consiliis* ad hoc deputandis acriter examinantur, exopto tamen animitus
et volo, ut inde a die 5. Augusti per quatuordecim dies in cancellaria princ. episc. Ordinariatus
prostent eum in finem, ut animarum pastores Lavantini ea legere, considerare et in plagulis adnexis
adnotare queant, quaecumque eis digna esse videntur animadversione. Praeterea dictis curatis do po-
testatem, ut ad diem usque primam mensis Augusti huius anni manifestent sua vota, ferant suas
sententias relate ad proxime celebrandam Synodum. Immo omnes Synodi participes in Domino rogitato,
ut mihi suggerant et suadeant, quidquid in salutem animarum inque bonum peramplae et almae
dioecesis statuendum desiderent.

Summarium praesentis edicti invitatorii et promulgatorii sextae Synodi Lavantinae, valvis
ecclesiae cathedralis et foribus sacelli s. Aloysii more solito¹ affixum, eadem vim habere volo, ac
si ipsis singulis, quorum interest, decretum istud allatum et denuntiatum sit. In quem scopum litteras
has decretales propria manu signatas confici ac sigillo episcopali muniri et publicari iussi. — Regula
et norma agendorum in sexta Synodo dioecesana Lavantina, canonice modo indicta, typis iam de-
scripta est² et synodalibus recto tempore extradetur.

Vespere diei 28. mensis Augusti, quo sacer consessus incipit, ab hora sexta per duos
quadrantes campanae omnium ecclesiarum Marburgensium sollemni pulsantur sonitu. Ecclesia con-
ciliaris s. Aloysii apparatu festivo decoratur ad augendam sacram sollemnitatem.³ In altari maiore
ardeant indesinenter sex candelae, durante *sessione* synodali. — Episcopus potest in qualibet suae
dioecesis parte Synodum cogere, ex necessitate etiam extra dioecesim, modo tamen consentiat loci
Ordinarius; expedit tamen, ut illam congreget in civitate sua residentiali apud suam cathedralem.
Est universalis consuetudo, ut *sessiones* synodales fiant in ecclesia, nisi gravis aliqua ratio exposcat,
ut extra ecclesiam habeantur. Inter ecclesias, si fieri potest, eligenda est cathedralis; urgente rati-
onabili et honesta causa non prohibetur Episcopus Synodum facere in alia ecclesia.⁴ Ita apud nos
seminarii ecclesia iam sexta vice ad Synodi celebrationem anteponitur. Et merito. Quum enim Syn-
oditae, qui episcopalem civitatem non incolunt, in seminario clericali plerumque recipiantur hospitio,

¹ Gesta et statuta Synodi dioecesanae anno 1896 constitutae et celebratae. Marburgi, 1897. Pag. 15.,
nota 2. — ² In lucem prodiit sub titulo: Manuale agendorum in Synodo dioecesana Lavantina a die 28. mensis
Augusti usque ad diem 1. mensis Septembris anni 1911 tenenda. Edendum curavit celsissimus et excellentissimus
ac reverendissimus Dominus Michael, Princeps-Episcopus Lavantinorum. Marburgi, 1911. Pagg. 64. — ³ Caerem.
Episc. lib. I. cap. 12. de ornatu ecclesiae; cap. 31. num. 6. — ⁴ Bened. XIV. op. cit. lib. I. cap. 5. num. 6.

ne eos per vias et plateas circumcursare necesse sit, non in cathedrali neque in basilica Matris misericordiae, sed in ipsa seminarii ecclesia Synodus celebratur.

Sub finem denuo omnes et singulos, quorum interest, et eos potissimum, qui ab ultima Synodo abfuerunt, in virtute sanctae obedientiae invito ad contionem synodalem. Praeparate vos igitur, in Domino dilecti fratres et filii, omni industria ad magnum convivium, quod fors ultimo vobis facere potero! Et dein parandis paratis venite hilares et alacres et concoenate mecum! Expansis manibus vos excipiam et ducam in domum Dei, ut gaudeamus suavi praesentia Iesu secundum ipsius promissionem: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (Matth. 18, 20) et ut Pater coelestis *abundantes divitias gratiae suae in bonitate ostendat super nos in Christo Iesu!* (Ephes. 2, 7).

In dulci hac spe finem facio epistolae meae invitatoriae cum epiphonemate divi Pauli apostoli, acclamantis: *Gratia vobis et misericordia et pax a Deo Patre et Christo Iesu Domino nostro!* (I. Tim. 1, 2).

Dabantur Marburgi in aedibus nostris, festo beatae Mariae Virginis *de bono consilio*, die 26. mense Aprili anno reparatae salutis 1911.



† **Michael,**
Princeps-Episcopus.

56.

Eidesleistung im Sinne des päpstlichen Motu proprio „Sacrorum Antistitum“ vom 1. September 1910.

Im Nachhange zum Berichte im Kirchlichen Verordnungs-Blatte für die Lavanter Diözese, Jahrgang 1910, Stück XII. Abf. 106, über die Eidesleistung im Sinne des päpstlichen Motu proprio „Sacrorum Antistitum“ vom 1. September 1910, wird dem hochwürdigsten Diözesanfiskus hiemit zur Kenntnis gebracht, daß der Hochwürdigste Oberhirt einen Bericht über die erfolgte Eidesleistung auch an den Thron Seiner Heiligkeit Papst Pius X. — und zwar durch Se. Eminenz den Herrn Kardinal-Staatssekretär Merry del Val — gelangen ließ.

Der Bericht lautet:

„Beatissime Pater!

Sacra Nativitatis Domini et Circumcisionis sollemnia quum paucos post dies celebranda sint, humillime subsignato Episcopo Lavantinorum acceptissimam praebent occasionem, Sanctitati Vestrae a Deo O. M. omnia bona, fausta feliciaque adprecandi ac simul supplicandi, ut divino Numini placeat, dies malos, quibus Sponsa Christi ac Sedes Apostolica modo premitur, abbreviare et eius inimicos humiliare.

Antistes enim sacrorum, ut indefessam sollicitudinem Sanctitatis Vestrae in deposito fidei fideliter custodiendo et Christi fidelium salute strenue tutanda grato animo adm iratur, ita vehementer condolescit, quod inimici rei christianae in dies audaciores evadant et ordinem moralem ac socialem susque deque vertant et exitialis

modernismi lues non evanescat, sed per vastam agri Domini partem diffuat atque doctrinae specie incautos quosque intercipiat.

Utrunque velut ex ubere fonte nefanda mala scaturiunt et ita, nisi ille in tempore obstruatur, horum finis vix indici potest. Neque tamen media, multa et gravia, desunt, quae si rite adhibeantur, illum exsiccare et haec a fidelium salute arcere eorumque pericula imminuere valent, mandata scilicet Sanctae Sedis Apostolicae, quae „profert de thesauro suo nova et vetera.“

Ex illis duo plurimi aestimanda ac gratissima, decretum videlicet S. Congregationis Concilii „Sacra Tridentina“ de die 20. Decembris 1905 de quotidiana ss. Eucharistiae sumptione et S. Congregationis de Sacramentis „Quam singulari“ de die 8. Augusti 1910 de aetate primam s. Communionem suscipientium agunt, et quae in priore praecipuntur, in Synodo dioecesana anno 1906 concita, publice exposita sunt, et quae in posteriore declarantur, in Synodo dioecesana, Augusto mense 1911 celebranda, ad cuius felicem profectum benedictio Apostolica suo tempore reverenter petetur, propius explicabuntur.

Impraesentiarum porro de modernismo potissimum agitur et ex Motu proprio „Sacrorum Antistitum“ de die 1. Septembris 1910 omnes orbis catholici sacerdotes ius-

iurandum, quo ea doctrinae catholicae capita, quae modernistae infense adoriuntur, aperte agnoscant et eorum errores, illis oppositos, exsecrentur, mense currente et more sollemni praestare iubentur.

Quod dioecesis Lavantinam attinet, eius Praestes sacerdotes suos, in urbe residentiali commorantes, die Dominica 4. Decembris huius anni in ecclesiam S. Aloysii, sacri Seminarii templum, convocaverat in eoque, ad hunc actum bene ornato, sermonem rei accomodum habuit ac sacerdotum animos fide Christi Vicarii iterum atque iterum devinxit. Tum una cum Clero professionem fidei ad formam Tridentino-Vaticanam emisit et iusiurandum, ut in dilaudato Motu proprio praescribitur, clara voce praestitit ac postremo id a sacerdotibus binis atque binis ad sancta Evangelia accepit. Singuli tandem sacerdotes exemplum iuris iurandi manu propria subscripserunt atque in archivo dioecetano deponendum tradiderunt.

Feria secunda, die 5. Decembris anni volventis Decani rurales in Ecclesia S. Ioannis Baptistae cathedrali, item sollemniter ornata, coram suo Ordinario, eius invitatorio sermone excepto, iusiurandum simili modo praestiterunt et ab Antistite specialem delegationem acceperunt, qua ornati a Clero sui districtus iusiurandum, ad modum supra laudatum, mense currente accipere et exempla iuris iurandi sacerdotum subscripta Curiae Episcopali mittere debent.

Caeterum Episcopo non minimo solatio vertitur, quod nullus suae dioecesis sacerdos istud iusiurandum praestare renuerit neque in ullum umquam huiusmodi suspicio ceciderit. Antistes certo etiam persuasum habet, nullum suae dioecesis sacerdotem in castra modernistarum umquam esse transiturum.

Itaque, Beatissime Pater, maxima cum fiducia ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus, reverenter precatur, ut Beatissimus Pater ipsi, Clero et populo dioecesis Lavantinae Benedictionem Apostolicam impertire dignetur.

Sanctitati Vestrae
addictissimus humillimus ac
devotissimus famulus et filius

† Michael,

Episcopus Lavantinus.

Marburgi, die 20. Decembris 1910.“

Voranstehender Bericht wurde Sr. Eminenz dem Herrn Cardinal-Staatssekretär Merry del Val mit nachstehendem Ersuchsschreiben übermittelt:

„Nr. 5937.

Eminentissime ac Reverendissime Domine Cardinalis!

Dum gratissimum mihi munus contingit, exempli relationis de iureiurando, sacerdotibus toto orbe catholico, anno labente, in causa modernismi praestando, a sacerdotibus Dioecesis meae Lavantinae iam ex animo omnium praestito, hisce subiiciendi, Eminentiae Vestrae Colen-

dissimae reverenter supplico, ut illud Sanctissimo Domino Nostro tradere et simul sincerissimum votum meum adiacere dignetur, ut ista relatio Sanctitati Suae vel minimum in hac nimis tristi rerum constellatione solamen afferat.

Vestrae interim Eminentiae Reverendissimae ad proxima Domini nostri Salvatoris festa sollemnia ex intimo corde omnia fausta, omnia felicia a Deo O. M. adprecor et in omnibus Ecclesiae negotiis prosperrimum exitum exopto ac cum singularis observantiae et venerationis sensis persisto

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
devotissimus ac obsequentissimus servitor

† Michael,

Episcopus Lavantinus.

Datum Marburgi, die 20. Decembris 1910.“

Bereits unterm 29. Dezember 1910 langte an Se. Fürstbischöflichen Gnaden von Seiner Eminenz dem Herrn Cardinal-Staatssekretär in Rom folgendes sehr erfreuliches Antwortschreiben ein:

„Segreteria di Stato
di Sua Santità.

Dal Vaticano die XXIX.
Decembris 1910.

Nr. 48.049.

Illustrissime ac Reverendissime Domine!

Una cum litteris tuis, diei 20. huius mensis, exemplar eidem adnexum accepi relationis de iureiurando a Sacerdotibus istius Dioeceseos iuxta Decretum „Sacrorum Antistitum“ rite praestito.

Hoc autem significare tibi propero, quod supradictum documentum, uti cupiebas, Sanctitati Suae tradere non cunctatus sum, Quae magnum ex eo sollacii argumentum haurire potuit, ac deinde Sacrae Congregationi Consistoriali illud transmittendum curavi, cum de re ad ipsam pertinentem agatur.

Gratias, interim, Beatissimi Patris nomine, Amplitudini Tuae refero pro filiali votorum ac venerationis obsequio Eidem exhibito, die festo Nativitatis Pueri Iesu recurrente, atque simul Apostolicam Benedictionem libenter tibi communico, quam Augustus Pontifex, dilectionis Suae pignus coelestiumque auspiciem bonorum, tibi, Clero populoque Dioecesis Lavantinae ex corde impertitur.

Grates denique meas addo Amplitudini Tuae de omnibus votisque pro me nuper susceptis, quae libenti animo tibi rependens, ac sensus existimationis maximae in te meae confirmans, sum et permanere gaudeo

Amplitudini Tuae

Addictissimus

R. Card. Merry del Val.

Reverendissimo Domino Michaeli Napotnik, Episcopo Lavantino

Lavantum.“

Seine Heiligkeit Papst Pius X. hat den Bericht des Hochwürdigsten Herrn Fürstbischöfs vom 20. Dezember 1910, der Seinem väterlichen Herzen zum großen Troste gereichte, an die

Sacra Congregatio Consistorialis gelangen lassen, die sodann Sr. Fürstbischöflichen Gnaden unterm 3. Jänner 1911 Nr. 17/11 nachstehende Erledigung des mehrerwähnten Berichtes zukommen ließ:

„Illustrissime ac Reverendissime Domine!

